

Persarum quae ratio fuerit, in majorum ferarum venationibus equites velocissimosque pedites ad excitatas feras excipiendas atque interficiendas constituendi, quaeritur.

Xenophon in secundo Cyropaediae libro Cyrus majorem narrat defectionem ulturum regis Armeniae, ut inopinantem eum atque imparatum peteret bello, exercitum ad regni ejus fines simulatione adduxisse venationis. Ea venatio in vigesimo ejus, quem dixi, libri capite exponitur his verbis: Ως δὲ πρὸς τοὺς ὄφεις ἐγένετο, εὐθὺς ὥσπερ εἰδόθει ἐθῆρα· καὶ τὸ μὲν πλῆθος τῶν πεζῶν καὶ τῶν ἵππων ὡγμενον αὐτῷ, ὡς ἐπιόντες τὰ θηρά τὰ ἔξανταῖσιν οἱ δὲ ἄριστοι καὶ πεζοὶ καὶ ἵπποις διέτυσσαν καὶ τὰ ἀνιστάμενα ὑπεδέχοντο καὶ ἐδίωκον καὶ ἤρουν πολλοὺς καὶ σῦς καὶ ἔλαφονς καὶ δορκάδας καὶ ὄρονς ἄγριονς· κτλ. Quo loco Xenophon, quum equites peditesque ad excitatas feras excipiendas feriendasque constitutos non περιστῆναι κύνηρ, vel κύνηρ ἀπάντη περιστῆναι colles saltuum, sed διαστῆναι diceret, declaravit, in eodem genere non eandem tamen rationem Persarum, atque Romanorum, fuisse. Hi enim in majorum ferarum venatu colles saltuum deinceps plagis et venantium corona cingebant. Declarat hoc Flori *a*) locus, ubi Augustus traditur tripartito exercitu totam complexus Cantabriam, efforam gentem ritu ferarum quasi indagine debellasse. Quamquam his verbis adduci quemquam ad opinandum, sicuti Augustum Cantabriam militibus, ita venantibus saltus cinxisse Romanos, hominis est de saltuum, in quibus majores quidem ferae receptacula habeant, magnitudine atque natura nulla e re alia judicantis, nisi e tabulis. Nam Vergilius quidem, quod, venationem illam Poenorū, Aeneae, Didus verbis depingens, *b*) saltus indagine cinctos dixit, non dubium est, quin poëtarum more oratione rem exaggeraverit. Nihil aliud hujus illa verba declarant, quam Tibulli *c*): qui colles indagine clausos dixit, a veritate atque a re ipsa non recedens. Jam — ut redeat, unde digressa est oratio, Persarum euidem hoc in genere rationem fuisse hanc opinor, ut, si quibus collibus latere feras aut ipsi animadvertisserint, aut canum odora vis prodiisset, missis, qui e latibulis illas excitarent, equites et velocissimos pedites ad excitatas feras excipiendas atque interficiendas in vallibus, colles illos continentibus, constituerent ita, ut ordo eorum formam referret semicirculi. Eamque potissimum rationem ii quidem, qui venaticarum rerum scientiam tenent, Persas contendunt amplexos esse, partim locorum natura coactos, partim, ut in certiore multae venationis spem venirent. Ego vero illos ita facere solitos

*a*) 4.

*b*) Aen. 4, 121.

*c*) 4, 3, 7.

statui, loco quodam, qui est in Anabasi d), adductus. Quo loco Xenophon onagrorum venationem exponit his verbis: *Kai oī μὲν ὄνοι, ἐπεὶ τις διώκοι, προδραμόντες ἀν ἔστασαν πολὺ γὰρ τῶν ἵππων ἔτρεχον θάττον καὶ πάλιν ἐπεὶ πλησιάζοιεν οἱ ἵπποι τάντον ἐποίουν καὶ οὐκ ἦν λαβεῖν, εἰ μὴ διαστάντες οἱ ἵππεῖς θηρῷν διαδεχόμενοι τοὺς ἵπποις.* Certe enim hi Cyri minoris equites, onagros venantes, illum gentis suae morem, si quidem fuerit, non modo consuetudine, verum etiam necessitate servarunt. Nam ne tota eos regione, in qua venati esse dicuntur, dispositos cogitemus, sana mens vetat: neque temere directe collocati, omni onagros praetercurrenti se atque aufugiendi occasione privassent. Ita vero, ut supra dixi, διαστάντες, quum feras.eas, ex diversis partibus equis se excipientes, urgerent, fieri sane poterat, ut consecundo eas ita, ut caperentur, defatigarent, dummodo eas, ne ipsos perrumperent, prohiberent: namque alios exitus ne peterent onagri, una ex parte Euphrates flumen, altera agmen Cyri obstabat. Accepit ita διαστάντες etiam vetus Xenophontis librorum interpres, Romulus Amasaeus. Id inde colligo, quod is Xenophontis haec verba: *καὶ οὐκ ἦν λαβεῖν, εἰ μὴ διαστάντες οἱ ἵππεῖς θηρῷν διαδεχόμενοι τοὺς ἵπποις,* in latina vertit hoc modo: *neque capi ulla ratione potuissent, nisi eos equites diversis ex partibus urgentes medios exceperissent.*

Haec habui, quae ad voces διέστασαν et διαστάντες explicandas dicerem. Jam quaeram, otides, gustatu onagris aliquanto suaviores e), quo modo capi possint. Has aves ii, qui naturalium rerum periti sunt, docent, *alis quidem parum ad volatum aptis praeditas, sed tanta tamen perniciitate pedum esse, vix quas velocissimi canes aequare cursu possint. Quapropter capere eas cupientibus aut vertagis, aut velocissimis utendum equis esse. Carnem, imprimis pullorum, saporis esse suavissimi: quam ob rem subtilis palati homines ejus esse appetentissimos.* Quibuscum consentiens Petrus Quiqueranus, Senecensis olim episcopus, memoriae tradidit haec f): *Prudentur Stardae, quum adolescunt, praecipua gulæ voluptate, coque magis, quo aevi minus: quum tamen Plinius damnatas in cibis otides scribat g).* Nostri quidem pro Stardarum adolescentium commendatione parati sunt in arenam descendere, qui adeo servide earum venationi incumbunt, ut per facile equorum gravissimos morbos, qui ex tam pertinaci cursu contrahuntur, negligant, dum destinata praeda potuantur. Neque enim hae aliter capiuntur, quam lassatae contentissimo et nullatenus remittente equorum cursu: id vero facillima opera, quum gallinacei magnitudinem aequant: quum anserum, non item: eum modum quum excessere, incassum insumitur equorum sudor. etc. Inde apparet, quid sit eis, qui otides capere equis volent, faciendum. Nam quum aves eae, a natura neque ad diu neque ad saepe volandum generatae, utantur tamen alis interdum et ad tempus, ita ut, converso praesertim aliam in partem itinere, insequentibus atque urgeatibus se eripiant, necesse est, venantes eas non intermisso equorum cursu et saepissime et brevissimis temporum intervallis excitare, quas, exhaustis tandem alarum viribus, capiant cursu. Jam quum Graeci utrumque, et e cubilibus feras excitare, et excitatas denuo excitare \*) ἀνιστάται h) τὰ θηρία vocent, sequitur, recte

d) 1, 5, 3.

e) Anab. 1. 1.

f) De laud. prov. Gall. Christ. tom. III, pag. 1261.

g) Errorum Plinii, ὡρίς, avis tarda, cum ὄτος, strix bubo, confundentis, notavit Buffonius. (Buffon opp. omn. germ. conv. a Raveo, tom. VII, pag. 280.

\*) Saepe enim fit, ut exigitatae canibus, falsis his, aliquo, ut ad cursum mox repetendum vires colligant, abdant se.

h) vel ἀνιστάται, vel ἀγείρεται. Exemplis Xenophontis liber de venatione scriptus abundat.

apud Xenephontem in Anabasi i), ubi ratio exponitur otidum capiendarum, legi ἀνταγή: neque mutandam hanc lectionem esse in ἀναστῆ, quam conjecturam in minore Anabasis editione proposuit Krügerus k). Quem si quis, Xenophontis libros, de expeditione Cyri minoris scriptos, editurus, hoc loco sequatur, legentem longe alio, quam quo Xenophon voluit, cogitatione ducet. Hic enim dicit, eos, qui venentur otides, ut capiant eas, necesse habere identidem eas excitare: contra, si quis scribat ἀναστῆ, non solum repetitae actionis notionem tollet, sed etiam venantes non otides, sed semet ipsos faciet excitantes.

Etiā vulpes otidum carnis appetentes esse, Aelianus loco quodam docet. Quem locum ego cum adolescentibus litterarum studiosis communicabo, non quod, quae ibi exponuntur, magno eis usui fore existimem, sed ut, qualis vir fuerit Aelianus, eis ostendam. Is igitur narrat l): Τὰς δὲ ωτίδας ἐν τῷ Πόντῳ θηρεύοντας (αἱ ἀλώπεκες) οὐτως ἀποστραφεῖσαι αὐταὶ καὶ εἰς γῆν κύψασαι τὴν κέρον ἀνατένοντας ὁσπεροῦν τράχηλον δονιθος: αἱ δὲ ἀλατηθεῖσαι προσίουν, ὡς πρὸς οὐρὴν ὄμοισιν, εἴτα πλησίον γενόμεναι τῆς ἀλώπεζος ἀλίσκονται φάστα ἐπιστραφεῖσης τῆς ἀλώπεζος καὶ ἐπιθεμένης κατὰ τὸ κάρτερον. Id est: Otides autem in Ponto sic venatur, ut sese avertat et demisso in terram capite, tanquam avis collum, sic caudam extendat. Quo dolo seductae aves eae ad insidiantem sibi tanquam ad suam gregalem accedunt. Quo facto, illa, subito in deceptas conversa, omni eas petit impetu atque nullo negotio capit. Quibus verbis Aelianus quamquam haud dubie et nimium astutas vulpes Ponticas, et otides magis, quam re vera sunt, imprudentes descripsit, tamen non majorem illis calliditatem aut his stultitiam tribuit, quam ipsius declaravit esse credulitatem. Nec vero is haec solum, sed etiam alia multa eis simillima narrat, ut suspiceris, nonnunquam eum a sollerti mendaciorum venaticorum architecto imponi sibi passum esse. Sed ad superiora equidem me referam quaeramque

ἀρπαζειν

nomen, quo in Ajacis fabula usus est Sophocles, unde sumpserit, quamque sententiam subjecerit verbis Ἀθηνᾶς, dicentis:

Ἄει μὲν, ὁ παῖς Λαεστίου, δέδοξα σε  
πεζῶν τινὲς ἐχθρῶν ἀρπάσαι θηρώμενον.

In principio hujus fabulae quum non pauca insint, quae cum venationem, tum maxime canem venaticum redoleant, quumque canis venatici et hominis comparatio non ab aliis solum poëtis Graecorum, sed etiam a Sophocle ipso non paucis locis sit facta, non mirum est, Lobeckum et Wunderum in eam adductos sententiam esse, idem ut eo, quem explicandum suscepi, loco factum nomenque ἀρπάζειν a cane sumptum venatico existimarent. Jam bestiae cujuspam speciem poëtae, id nomen ponentis, animo obversatam esse, id ita apertum est, ut non egeat disputatione. Ac ne hoc quidem est dubium, quin, ad canem illum respexisse venaticum, recte ii, quos supra dixi, docti homines statuerint. Unum tamen, quod gravius aliquanto est, non item perspexerunt. Etenim ἀρπάζειν verbum quo tandem pacto in canem venaticum, institutum quidem bene, cadat, si quis discere ab illis volet, facile sentiet, eam rem parum recte ab altero eorum esse, ab altero non accurate satis explicatam. Quum autem, nisi cognita ea re atque perspecta, quid sibi velint Ἀθηνᾶς verba, non possit intelligi satis, periclitabor, si, quod ab illis est coepit, ego absolvere quodammodo atque perficere possim.

i) l. 1.

k) Licet etiam eis, quos, quia plurimas res atque utilissimas ab eis discimus, facimus maximi, veritatis causa cum modestia ἀντιπαλαιειν.

*Ag* (άγ) syllaba, ut multis aliis gentibus, ita Graecis non potuit non apparere aptissima ad *arripiendi cupide*, sive *captandi*, ut poëtae loquuntur, *actionem exprimendam* m). Eosdem hos constat, littera ο in faciendis nominibus, quibus exprimerent sonitum, usos esse, ita quidem, ut οα syllabam, si rem graviter, sin acute sonantem essent expressuri, vel οι, vel οι syllabas fingerent. Harum syllabarum prima ei, de qua prius est dictum, praeposta, oppresoque citata pronunciatione altero α, vocula οαν ex eaque popularis sermonis nomen οάπειν factum est. Valuisse autem οάπειν *falce magna vi atque celeritate vibrata foenum aut frumentum ita, ut stridor redderetur, arripere atque auferre,* et οαν syllabae sonus et falcis nōmen indicio sunt. Quam quod non οάπην, sed per metathesin litterarum οοπην, quisquis fuit hujus nominis opifex, dixit, haud dubie ut id numeris adstrictae orationi accommodaret, fecit. E falcis autem illo nomine avem οοπην nominatam esse n), ea ostendunt, quae, qui naturalium rerum scientiam tenent, de ave ea tradunt. Qui ο) uno omnes ore consentiunt, οοπην sive *haliaëtum ossifragum, rapacitatem vel maximis præstantem aquilis, dies noctesque, quippe oculis ad eam rem aptis instructum, et quadrupedes majores et pisces etiam maximos rapere.* Addunt nonnulli neque illi quidem rejiciendi auctores p), eundem, quum pisces e mari aut stagnis rapiat, tanto in eos devolare impetu tantaque eos vi rapere, ut maximus aquae sonitus noctis præsertim tempore audiatur. His ego rebus adducor, ut οοπην avem eam dictam esse propere quod ea, quae raperet, similiter, atque foenum aut frumentum falx, arriperet atque auferret, et ab hujus avis nomine originem vocis οοπην άζειν repetendam omnesque rapaces bestias, quod οοπης ritu raperent omnes, ut dicerentur *rapere, οοπαζειν* Graecis dictas esse statuam. Quum autem ex insidiis in praedam invadere cujusvis rapacis animalis sit proprium, si quis animo sibi effinxerit leonem, in feram quampiam magno ex insidiis impetu ac strepitu invadentem, et dentibus eam injectisque ungulis arripiensem atque auferentem, rapacem bestiam constituerit οοπαζοντα. Quod si quis aut scriptor aut poëta Graecus investigatorum canem, quem insignem declarat sollertia, ιχνη ferarum οοπαζειν dicat, contrarium ejus, quod sentiat, eloquatur: non perscrutantem canem sagaciter ferarum vestigia, sed dissipantem delentemque depingens. Id ita esse, disci a Xenophonte potest, qui in libro de venatione scripto q), ut ventum vehementer flantem vestigia ferarum passim delere indicet, διασπαζειν verbo utatur. Verba ejus haec sunt: Εξάγειν δὲ αντάς (τὰς κύνας) οὐ χρή ἐπι τὰ κονηγεῖα, ὅταν μὴ τὰ προσφερόμενα δέχωνται ἡδέως (τερυμήσιον δὲ τοῦτο, ὅτι οὐκ ἔδοχονται, μηδὲ ὅταν ἀνιμος πνέῃ μέγας διασπάει γάρ τὰ ιχνη κτλ. Falsum igitur esse suspicatus sum, quod contendit Lobeckius,

m) Itaque Homerus, canem venaticum apri femora mordicus arripiensem fingens, ad veritatem ejus rei imaginem expressit, quum loqueretur hoc modo:

Ως δ' ὅτε τίς τε κύων συὸς ἀγρίου ηὲ λέοντος  
ἀπτηται κατόπισθε, ποσὶν ταχέεσσιν διώκων  
ἰσχὺα τε γλουτούς τε ἐλασσόμενόν τε δοξεύει. (Il. 8, 339.)

Neque immemor hujus significationis verbi ἀπτεσθαι Herodotus κατεροτέοτες γάρ, inquit, οἱ λέοντες τὰς νύκτας, καὶ λείποντες τὰ σφέτερα ἡθέα ἄλλου μὲν οὐδένος ἀποντο, οὔτε ὑποζυγίου, οὔτε ἀνθρώπου κτλ. (7, 125).

n) Eodem modo ε κίρος, id est circuli nomine, avis κίρος est nominata.

o) Aristot. h. a. 9, 4, 2. Buffon. I. l. pag. 75. Voigt. descript. anim. tom. II, pag. 277.

p) Voigt. I. l. pag. 78 annot.

q) 6, 2.

locutionem Θηρᾶσθαι πείγαν ἐχθρῶν ἀρπάζειν a re venatica canumque sollertia desumptam esse ad Ulixis in indagandis hostium consiliis sagacitatem significandam. Atque illam opinonem meam ipse confirmavit Sophocles. Qui manifesto voluit, tres Ajax fabulae versus, secundum, septimum, octavum ad eandem venationis imaginem pertinere ita, ut primus finis venationi propositi significationem, ceteri duo autem ejus rei, quae venantes eo, quo vellent, perduceret, id est sagacitatis venatici canis declarationem haberent. Itaque quoniam non de investigandis, sed capiendis feris eo, de quo agitur, loco cogitandum est, quaeramus, num forte, si canis cogitatione fingatur in feram quamquam in latibulo cubantem magno ex insidiis impetu invadens, arripiens eam mordicus atque auferens, in eum ἀρπάζειν nomen aptius cadat. Erat enim canum venaticorum, nondum inventis eis, quibus ad fe- riendas feras hodie utuntur armis, εἰ τὴν περὶ τὸν λαγών, aut excitare eum e latibulo ac, donec in plagas incideret, persecui, aut ea, quam supra dixi, ratione eum capere conari. Ac prosae quidem orationis scriptor si quis ad declarandam eam rem ἀρπάζειν nomine utatur, inutili prorsus ad venationem canem, raptorem ferarum depingat. Si quis vero poëtice loquatur, ἀρπάζειν vox ad id exprimendum fuerit aptissima. Etenim venaticus canis, quamquam, si institutio accesserit, captas feras ve- natori asportaturus aufert, tamen, quia bestia est natura rapax, et in arripiendis eis naturam sequitur, et arreptas aufert ita, ut in hac quoque re sequi eam, quasque aufert feras, rapere videatur. Imaginem hujus rei in primo librorum, r), quos scripsit de venatione, expressit Oppianus. Cujus scripta quod non ita multis lecta aut ad manum esse sumere posse mihi video, verba ejus, quae imaginem, quam dixi, continent, a Rittershusio in latina conversa appingam: quum praesertim videam, cognitis eis fore neminem, qui, quid sibi velint illa, de quibus agitur, Αθρυλος verba, non perspiciat. Ergo interpretatus est Rittershusius eum, quem dixi, Oppiani locum hoc modo:

*Atque aliquis venatorum, periculum facere catulorum  
Cupiens, extra portas sublimes  
Aut mortuum aut vivum fert manibus leporem:  
Serpit autem ante, regionem semitae  
Primum quidem directam, mox vero obliquam ducens,  
Sinistra, dextra, anfractuosam viam circumvolvens.  
Ast ubi jam valde procul ab urbe ac portis  
Processerit, tunc sane fovea egesta sepelit (leporem.)  
Reversus autem in urbem redux, statim adducit  
Propter viam canem sagacem. At ille e vestigio  
Incitatus fremit leporino ab halitu  
Vestigiaque anquirit per terram, neque facile invenire  
Satagens (licet,) potest. Valde autem indignabundus errat:  
Paucis interjectis verbis ad id, quod ego ago, non pertinentibus, sequuntur haec:  
Ita ille (canis) animi edacibus cruciatus doloribus,  
Huc et illuc fertur, et ordine perscrutatur  
Omnem lapidem, et omnem collem, et omnem semitam,  
Arboresque, vitesque, et sepes, et areas.  
At cum vestigium tandem aërium assecutus fuerit,*

r) v. 479. sqq.

*Exultat, gannitque gaudibundus, perinde ut tenelli  
Lasciviant vituli circum vaccas mammosas:  
Ita et huic valde animus laetatur: ruens autem  
Volvitur, obliquis ingrediens campis.  
Neque vero ipsum aberrare feceris, nequidem si longissime aspellas:  
Sed pergit recta pertinaciter suavi tactus odore,  
Donec ad finem laboris et ad metam penetrarit.  
Quod si ipsum armes in nondum captos lepores,  
Occulte quidem accedit, et vestigium prope vestigium figit  
Parvus, sub vitibus tectus, aut arundinibus,  
Velut praedo hoedorum abigens, qui pastorem  
Dormitantem prope observans tacitus arrept.  
Ast ubi jam latibula leporina propinquaverit,  
Celeriter prosilit, jaculo similis, aut draconi  
Sibilanti, quem commovit e sua antea quiescentem  
Veneni — receptrice caverna messor, aut aliquis arator:  
Ita ille exultans cito prosilit. Si vero assecutus fuerit,  
Facile quidem acutis subacto unguibus,  
Et malis correpto onere ingenti occurrit,  
Cito affert, laboransque, onustusque accedit.*

Cum Oppianeo hoc cane, et studiosissimo venandi, et in lepores in cubili latentes magno ex insidiis impetu ac strepitu invadenti, et magna eos vi arripiendi atque auferenti, si quis Homericum <sup>s)</sup> illum Ulixem, occasiones <sup>t)</sup> hostis tentandi (πείρας ἐχθρῶν) captantem (ἄει θρησκέων) et per insidias et magna vi arripiendem atque auferentem <sup>u)</sup> (ἀρπάζοντα) comparaverit, idem cogitaverit, atque eo, de quo quaesitum est, loco cogitavit Sophocles. Haec sunt, quae ego scribenda putavi ad locos veterum scriptorum, in quibus ad venaticam rem resperxerunt, illustrandos. Quibus quamquam alia adjicere nonnulla possum, ad similes locos explicandos pertinentia, eaque fortasse neque inutilia prorsus neque plane injucunda cognitu, tamen, ne nullum varietatis oblectamentum a me quaesitum sibi legentes, si quos sim nactus atque tenuerim adhuc, querantur, transibo ad diversas ab eis, quas tractavi, res quaeramque, in his Oedipi Colonei <sup>v)</sup>:

οὐ γὰρ μοίρας εὐδαιμονίσαι  
πρωτηγε, ὃ τῆσδ' ἔφοροι χώρας.  
δηλῶ δ'. οὐ γὰρ ἀν ὁδ' ἀλλοτρόποις  
δύμασιν ἔργον  
χαπὶ σμιχοῖς μέγας ὥδων.

in ea igitur Oedipi oratione quid sibi velint illa: χαπὶ σμιχοῖς μέγας ὥδων.

<sup>s)</sup> Viri mirifice de Sophocle meriti, Schneidewinii haec est docta imprimis atque ea, de quibus disputatur, verba intelligere cupientibus utilissima annotatio, Sophoclis illa scribentis animo Ulixis imaginem obversatam esse carminibus expressam Homeri.

<sup>t)</sup> Tentamina hostis dicerem, si, quo melius rem notarem, loqui liceret, poëtice.

<sup>u)</sup> Scio equidem, auferre occasionem latine non dici; sed tamen addidi, ne quid, quod ad comparationis a Sophocle factae rationem explicandam pertineret, decesset. Certe Ulysses ea, quorum causa hostes tentabat, et famam ea re quaesitam auferebat.

<sup>v)</sup> vers 143. 144. 145. 146. 147.

Neque enim admodum facilia haec verba ad intelligendum sunt: id quod magna eorum, qui interpretanda ea suscepérunt, dissensio docet: neque adhuc mea quidem opinione illustrata sic, ut aliam interpretationem non admittant. Experiar igitur, si, quid contineant, grammatica explicatione possim aperire, ut, quum in oratione ad misericordiam commovendam composita insint, quantum valeant ad eam rem efficiendam, appareat. Ergo Oedipus, postquam ad interrogationem Chori: *τίς ποθ' ὁ πρεξβύς;* respondit:

*οὐ πάντα μοίρας εὐδαιμονίαι  
πρώτης, ὡς τῆσδε ἐφοροι χώρας.*

tria, ex una eademque sententia conditionali hac: *εἰ οὖν μοίρας εὐδαιμονίαι πρώτης dependentia, eloquitur, primum: οὐκ ἀντίτοις δύμασιν εἶπον alterum: οὐ οὖν μέγας tertium: οὐκ ἐπὶ συικροῖς ἀντίτοις.* Ex his, quas separatim ego posui, enunciationibus comprehensione devinctis oratio nascetur haec w): *εἰ γὰρ οὖν εὐδαιμονίαι μοίρας πρώτης, οὐκ ἀντίτοις δύμασιν εἶπον καὶ, μέγας (ων, sive οὗτοι μέγας οὗτοι, επὶ συικροῖς ὡρμων id est: εἰ γὰρ οὖν εὐδαιμονίαι μοίρας πρώτης, οὐκ ἀντίτοις δύμασιν εἶπον καὶ, μέγας x) ων βασιλεὺς, επὶ συικροῖς λήμμασιν γ) ὡρμων ut sententia, germanice expressa, haec sit: Denn wäre ich besonders großen Glückes wegen zu preisen, ich würde nicht mit Hülfe fremder Augen wandern, ich würde mich nicht, ein Mächtiger dann, um geringe Gaben zu empfangen, in Bewegung setzen. Certe enim Oedipus, si ob insignem fortunam tum esset praedicandus, rex Thebarum firmusque vir opibus fuisset. Itaque is verbis illis, sese ex potenti rege mendicum esse factum, non declarat quidem, sed — qua in re magna οἰνορούλας virtus cernitur — significat tamen: eaque tanta rerum commutatio, quum praesertim accedit ad caecitatem, nemo non videt, quantam vim habeat ad concitandam misericordiam. Schneidewinius igitur ipse velim judicet, graviusne dixerit, Hermanni interpretationem: *et exigui munieris causa, qui magnus atque insignis vir sum, hoc in portu constitisse, falsam esse rebus omnibus.* Ipsum quidem miror vocem μέγας ad corporis firmitatem esse referendam censere, et dissentientem a Sophocle et secum ipsum pugnantem. Etenim non ille solum Oedipum non semel facit*

w) Vide Hermannum (Opusc. 4, pag. 192.) Cf. Ellendt. lex. Sophocl. I, pag. 127.

Et Euripides, (Suppl. 1083. 1086.) dum Iphidem inducit loquentem haec:

*εἰ δὲ ημεν νέοι  
δίς καὶ γέροντες, εἴ τις ἔξημάρτανε  
διπλοῦ βίου λαχόντες, ἔξωρθονμεθ' αὐτούν*

simili usus figura est: nisi quod is participium enunciationi, particulam ἀντίτοις positam continent, praeposuit. Dicit enim hoc: *εἰ δὲ ημεν νέοι δίς καὶ γέροντες, εἴ τις ἔξημάρτανε, οὗτοι διπλοῦ βίου (αὐτούν)* ἔλαχομεν, ἔξωρθονμεθ' αὐτούν

x) — — — οἱ δὲ συγγενεῖς

μῆνες με μικρὸν καὶ μέγαν διώρισαν. (Oed. R. 1083).

y) Ἐγὼ γὰρ, ὡς ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πρῶτον μὲν, ήγίκει ἐπειθόν τινες ὑμᾶς τῶν ἐν Εὐβοίᾳ πραγμάτων ταραττομένων βοηθεῖν Πλούταρχῷ καὶ πόλεμον ἀδοξον καὶ δαπανηρὸν ἄρισθαι, πρῶτος καὶ μόνος παρέλθων ἀντεῖπον καὶ μόνος οὐδὲ σπάσθην ὑπὸ τῶν ἐπὶ μικροῖς λήμμασι πολλὰ καὶ μεγάλα ὑμᾶς ἄμαρτάνειν πεισάντων. (Demosth. 58. 2.)

declarantem, sese aetate esse decrepita, sed ipse quoque Schneidewinius hunc in praefatione ad hanc tragoediam scripta senem vocat et annis et miseriis confectum. Accedit, quod, si Sophocles Oedipum fecisset dicentem, se, quod oculis esset captus, necesse habere filiae innixum incedere, iterum eum miseriam querentem fecisset caecitatis: quae res, opinor, aliquanto minus, quam altera illa, ad misericordiam concitandam valuisse. Neque denique Sophocles Oedipum, validum quidem viribus, apte fecisset dicentem, sese caecitate coactum esse, ut innixus imbecillae filiae incederet.

Jam latinis quoque scriptoribus quibusdam aliquid operae et studii tribuendum existimans, quaeram, in Catilinaria prima quae leguntur, haec verba:

*vigilare non solum insidiante somno maritorum, sed etiam bonis occisorum,*

sintne ea Ciceronis, necne. Nam mihi quidem, quotiescumque orationem illam legi, visa sunt ea, quae appinxi, verba a grammatico potius quopiam profecta esse, quam, cuius feruntur, ingenio elaborata. Cujus suspicionis quum duas rationes easque, ut mihi quidem persuadebam, non prorsus improbadas afferre possem, tamen, quominus eam profiterer, prohibitus sum eo, quod, quorum virorum summa hoc in genere litterarum auctoritas et est et vero debet esse, Halmii, Klotzii, Madvigii aliorumque scripta videbam ejus rei declarationem habere nullam. Neque adhuc mutata ea ratio est. Qua de causa cunctanter admodum feci, ut, quid sentirem, proferrem in medium: sed tamen faciendum duxi, ut in meam sententiam doctos illos homines, si possem, adducerem, si minus, meliora ab eis discerem ipse erroremque meum deponerem. Itaque causas dubitationis illius meae proferam. Et priori quidem loco ostendere conabor, ea, de quibus agitur, verba, ad id, quod orationis ea, qua continentur, parte Cicero voluit, efficiendum inutilia ob eamque causam supervacanea esse. Nam quum non id ibi ageret Cicero, ut scelera Catilinae jam enumerata persequeretur iterum, sed ostenderet, quae bonis civibus industriae subsidia instrumentaque virtutis essent, ea omnia illum in libidine atque audacia consumpsisse, satis habuit hanc ejus rationem in universum denotare his verbis: *non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obcundum.* Quare ea, quae sequuntur: *non solum insidiante somno maritorum, sed etiam bonis occisorum* — ipsa quidem, si abessent, non desiderarentur. At enim necessaria sunt ad id, cuius causa vigilans Catilina fuerit, explicandum. Quasi vero vigiliarum Catilinae mentionem facere Cicero debuerit, postquam declaravit, eum humi jacuisse stupris et facinoribus intentum! An hoc aliud quid valet, quam eundem istarum rerum studio fuisse vigilantem? Sed leviora haec esse fateor ad auctoritatem monumentorum labefactandam. Quid vero, quod ne sententia quidem eis, de quibus agitur, verbis subjecta certa est. Nam quum oratio conformata sit ita, ut *occisorum* postulet, ut ii ipsi, quorum somno insidiatus esse Catilina dicatur, mariti audiantur, sequitur, sententiam illis verbis subjectam esse absurdam hanc: Catilinam hoc vigiliis expetisse, ut, quos dormientes interfecisset maritos, eosdem creptorum honorum dolore macaret mortuos: quum tamen dolere ex ejusmodi rebus ad eos, qui mortui sunt, non pentineat. Neque temere quisquam huic malo medeatur recepta lectione *otiosorum*. Nam primum, quod, qui hanc amplexi sunt, *otiosorum* idem, atque *in pace viventium*, sonare statuunt, nescio, an parum recte id faciant. Etenim *otium*, quamquam proprie non armorum, sed laborum vacationem denotat, tamen, quia *otium* fructus quidam est pacis, quum per oppositionem refertur ad *bellum*, idem sonat, atque *pax*. Quum autem, ut intelligatur, opponi *otium* nomine nomini *bellum*, necesse sit, belli aut mentionem esse factam, aut saltem notionem ejus toti sermoni subjectam agnosci, quumque neque ea, de quibus disputationatur, verba ipsa neque haec verba praecedens oratio ne significationem quidem habeat belli, se-

quitur, *otiosorum* idem, atque *in pace viventium* ibi valere non posse. Sed fac, idem valere, quum dormientes mariti et ipsi sint otiosi, qua tandem ratione oppositos illis homines putabimus otiosos? Haec me jam pridem in eam sententiam adduxerunt, ut verba, de quibus agitur, ad proxime praecedentem orationem explicandam nata eisque interpretamentis postea Ciceronis orationem adulteratam existimarem. Si quis vero *vigilare* ipsum retinendum censens, sic scribat: *humi jacere, vigilare non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum.* *Habes, ubi ostentes* etc., hujus ego sententiam lubenter calculo meo comprobaverim. Sed harum rerum volo eos, quos dixi, doctos viros judices esse.

Extremum est, ut quaeram, apud Phaedrum in libri tertii fabula sexta utrum, qui *tricandum*, an, qui *strigandum* scripserunt, veram lectionem constituerint. Quarum lectionum quum neutri auctoritas desit monumentorum, ut, ultra utri praestet, dijudicari possit, necesse est, significaciones eis vocibus subjectas explicatasque inter se conferri. Et *tricari* quidem verbo scriptores latini utuntur, ut indicent, quempiam *tardum et segnem ad id, quod debeat, praestandum esse, atque ut subterfugiat, moras nectere atque tergiversari.* Sed praeter usitatam illam notionem *tricari* aliam quoque habuisse, Nonius Marcellus, *tricae nominis vim exponens, ostendit.* Ait is 2): *Tricae sunt pili aut fila, quae pedes pullorum gallinaceorum irretiunt et involvunt et ingredientes impediunt.* Ex his verbis non solum apparet, quae *tricae* vocis significatio propria, sed etiam suspicari potest, quae verbi *tricari* fuerit. Etenim in vulgus est notum, jumenta omnis generis, lora magis, quam stimulos sentientia, tardare in eundo quasique pedes eorum pilis aut filis sint irretiti, incedere solere. Quod iis quidem, a quibus aguntur, per malitiam facere videntur; quare graves saepe poenas tarditatis tergo pendunt. Jam eo modo euntia jumenta ego populari sermone loquentes dixisse *tricari* eamque hujus nominis significationem fuisse principalem atque naturalem existimo. Id si recte disputatum videbitur, sequetur, *tricari* nomen in mulos tardantes, quum malitiosissimum jumentorum sit genus mulorum, aptissime cadere propterea maxime accommodatum esse ad rem mulae a musca exprobratam denotandam, ut unum hoc restet, ut, num idem eo, de quo disputatur, loco quadret, quaerendum videatur. Fuit autem manifesto Phaedri consilium, mulam ibi id respondentem inducere, quo eis, qui hanc fabulam essent lecturi, risum moveret. Eamque alteram dotum, quas esse libelli sui dixit a), illo quidem loco in ejus ipsius, de quo disputatur, verbi usu posuit. Nam mula, quum neget, sese ob lentum flagellum frenorumque spumantia sua ora continentum ad sensum lente progredientem, ullo modo muscae minis commoveri ad currendum posse, utitur argumento admodum efficaci ad demonstrandum, sese non sua sponte non citius progredi expertemque esse culpae tarditatis. Significat enim verbis eis non obscure, eum, qui sella prima sedeat, modum incessus sibi flagello frenisque praescribere. Jam in eandem illam sententiam ea quoque, quibus illa muscam, ut auferat frivolam insolentiam, admonet, dicta esse patet. Sed mula, ut, ubi lente eundum sit, sese, scilicet flagello frenisque edoctam, scire indicet, cum faceta quadam ironia de sua condicione dura loquens, sese, ubi res a musca sibi exprobrata facienda, id est, *tricandum* sit, scire dicit: muscam verbo, re ipsa semet ipsa eludens. Quod cujusmodi sit, quo melius intelligatur, colloquium a mula et musca habitum germanice soluta oratione reddam. F. Wie tråg bist du! Willst du nicht rascher vorwärts! Sieh

z) 1, 2, 6.

a) Prolog. v. 3.

zu, daß ich dir nicht den Hals mit meinem Dolche zersteche! M. Nicht deine Worte röhren mich; sondern den auf dem Bocke fürchte ich, der mir jetzt den Zug zu mäßigen bedeutet, weil er die Geißel lässig schwingt und mich mit schaumbedeckter Zügel zusammennimmt. Laß also ab vom eiteln Uebermuth. Ich weiß gar wohl, wann es zum Schleudern und wann es zum Laufen Zeit ist. Jam strigare quid valeat, ut iudicem discamus, eos, qui de rustica re scripserunt, consultemus. Hos enim probabile est, optime ea de re responsuros. Et Plinius  $\beta$ ) quidem, Catonem hanc dubie auctorem sequens, necesse esse dicit, in arando versum peragi nec strigare (boves) in actu spiritus. Ubi, quid sit strigare, Columella  $\gamma$ ), eandem, quam Plinius rem praecipiens, his verbis docet: Sed nec in media parte versurae consistat, ut spe cessandi totum spatium bos agilius enitatur. Horum locorum comparatio satis, opinor, declarat, strigare dicta esse jumenta, non quae tardarent per malitiam, sed eorum, a quibus agerentur, voluntate consistente, denique ad tempus ab opere disisterent. Hoecce igitur verbum poëtam muliae, quae tarditatis crimen responso dissolveret joculari, tribuisse probabile est?

$\beta$ ) N. h. 18, 19, 49.  
 $\gamma$ ) 2, 2, f.